

dass sie genügend begründet sind, und dass man alle Möglichkeiten in Betracht ziehen musste.

Der Nachfolger des 1499 verstorbenen Bischofs Thus von Zagreb, Lukas Baratin, übergab das Kloster Ivanič, wie gesagt, 1508 den Franziskanern und errichtete für sie eine heute stehende spätgotische Kirche. Nur der Turm und das Gnadenbild U.L.F. erinnern noch an die Nonnen. Nach der Schlacht von Mohács 1526 wurde die Gegend von Ivanič Kampfgebiet, das Kloster lag von da an direkt an der türkischen Grenze. Es wurde zu einer Festung und bekam eine Garnison. Die Franziskaner mussten weg und kehrten erst 1639 wieder zurück. Die Kirche wurde barockisiert, ein neues geräumiges Kloster gebaut, das zeitweise das Theologiestudium der Provinz enthielt. 1943 wurde die Kirche durch Kriegseinwirkung zerstört, sie ist seitdem Ruine. Die Aussicht auf Wiederaufbau ist gering. Das Gnadenbild kam in die Pfarrkirche des Ortes, die von den zwei Patres die noch im Kloster wohnen, versehen wird.

N. BACKMUND, O. Praem.

Statuta Collegii Praemonstratensis in Urbe Roma.

Anno 1626, abbas Tongerloensis, Adrianus Stalpaerts, Collegium Sancti Norberti Romae fundavit. Quod perduravit usque ad tempora perturbationis Gallicae. Tunc enim abbatae quae sodales suos ad illud Collegium mittere solebant (potissimum abbatia Tongerloensis) paulatim suppressae fuerunt, et exinde novi alumni ad Urbem non amplius mitti potuerunt.

Huius Collegii historia adhuc scribi debet. Elementa huius historiae quidem non pauca describuntur a W. VAN SPILBEECK, *De Abdij van Tongerlo*, Lier, 1888, pp. 448-462; et a P. VISSCHERS, *Geschiedkundige Inlichting over het Norbertijnsch Collegie en de voornaemste Bibliotheeken te Roomen*, Antverpiae, 1841, 69 pp.

Cum existat documentum in quo « Nomina et ordo omnium qui habitarunt in collegio isto Rmano » enumerantur, inde ab anno 1625, L. GEVELERS editionem, pluribus annotationibus illustratam,

²³⁾ A. OSZVALD, *Fegyverneký Ferenc, sagi prepost, rendi vizitator 1506-35-ig*. (Emlékkönyv Szent Norbert halálának 800 évés jubileumára 1134-1934, Gödöllő, 1934, 51-109. Cf. BACKMUND, o.c., I, 422.

²⁴⁾ KOWAČEVIČ, l.c.

illius documenti incepit sub titulo : *Voorzitters, Ambtenaren en Studenten aan het Norbertijnsch College te Rome (1626-1793)* in periodico : *Bijdragen tot de Geschiedenis, bijzonderlijk van het aloude Hertogdom Brabant*, XII, 1913, pp. 21-30, 145-160. 38 solummodo personae ad Collegium pertinentes ibi consideratae fuerunt.

In arch. abbatiae Averbodiensis, sect. IV, ms. 173, foll. 201-204, transcripta habentur Statuta Collegii Ordinis in Urbe. Cumque Statuta illa rationem vivendi in Collegio Ordinis illius temporis clare indicent, illa statuta publicasse non erit negotium pro nobis mere academicum. Sequuntur ergo illa Statuta.

*Statuta Collegii Ordinis Praemonstratensis in Urbe,
gratia et favore Ssmi, Domini nostri Urbani P.P. octavi,
ad Dei Omnipotentis, S. Dei Genitricis Mariae, maiorem gloriam,
et fidei Catholicae propagationem,
sub invocatione S. Norberti erecti, anno Domini 1628.*

In quo Collegio perpetuis futuris temporibus inviolabiliter servabitur regula S. Augustini, Statuta Ordinis Praemonstratensis et aliae constitutiones Capitulorum generalium et provincialium, nec aliqua super illis obtineri poterit dispensatio, vel relaxatio, nisi de consensu Circariae Brabantiae.

Omnes in hoc Collegio constituti quasi in publico orbis theatro regularis observantiae specimen praebere debent. Idcirco ut votorum substantialium observatio strictissime vigeat in hoc Collegio, perpetuo servabitur vita communis, tam quoad victum quam quoad vestitum ; ita ut nemo sibi quidquam particulare reservet, etiam apud Superiorem depositum. Sed in primo ingressu omnia quae ex itinere superfuere, praesidi in communi redigenda consignet. Nemo etiam quidquam suorum emat, vendat, distribuat aut permutet poena proprietariorum puniendus qui contra fecerit.

Nemo pro sacris etiam eleemosinam accipiat, sed a praeside si quae parva a devotis personis petantur, distribuantur et assignentur cuique celebrando : dictae autem eleemosinae in commune redigantur. Quod ut commodius et convenientius fiat, omnes sese ad quotidianam celebrationem disponent, et si quis propter occurrens impedimentum celebrare non possit, id praesidi indicabit, ut sic quae de celebrantibus in Statutis Ordinis habentur, quae etiam de

compellendis negligentibus decernuntur, diligenter executioni demandentur.

Ad castitatis et obedientiae observationem nemo sine licentia et socio exeat, imo ipse praesidens et provisor exeant cum socio, aut saltem cum famulo fideli, neque liceat cuique socium eligere, sed cum quibus et quo praeses iusserit, ire debebit, horaque constituta reverti. Videbit tamen praesidens ne plures ad unum locum aut certam urbis partem dimittantur, nisi fiat ad recreationem extra muros per diversas vias, et sic ut non simul urbem transeant.

Nemo etiam externis sine licentia loquatur, multo minus ad cubicula deducere, potum aut aliud quidlibet eis sine licentia offerre praesumat. Litteras autem omnes scribendas praesidens debeat visitare, et communi sigillo claudere, ac allatas perlegere, nisi forte essent proprii Abbatis aut ad ipsum scriptae. Ad litteras autem Prioris adhibebit Praesidens discretionem convenientem ut eas non nisi ex particulari causa visitet.

Cuncti etiam qui in hoc Collegio degunt, sese in prompta obedientia et stricta disciplina contineant, ut nulla de ipsis querela audiatur, et si quispiam aliter sese gerat, quam religiosa professio postulat, praelatus monebitur ut incorrigibilem vel se non emendantem absque dilatione revocet et ad hoc teneatur.

Abbas Tongerloensis quia prima origo et causa est erectionis huius Collegii, ideo ipse et eius successores erunt perpetui huius Collegii provisores et superintendentes, ad eosque pertinebit ordinaria directio. At vero suprema potestas penes Brabantiae Circariam permanebit, sine cuius consilio et assensu neque leges mutabunt, neque comparata alienabunt vel transferent, nec praesidem amovebunt, aut aliquid grave et ponderosum et quod generalem statum Collegii statum concernit facient, manebitque dictum Collegium praedictae Circariae semper incorporatum, nec sine eiusdem consensu excorporari poterit; et casu quo excorporetur, pecuniae illae refundentur quae ex, et pro parte Circariae, collegio sunt collatae.

Praeses et Provisor exteriorum dicti Collegii a Praelatis Circariae Brabantiae ex quovis monasterio maxime idonei ad huius Collegii regimen eligentur, habito tamen semper respectu propter causam dictam ad monasterium Tongerloense. Abbas Tongerloensis et eius successores mittere poterunt ad dictum Collegium duos, alii autem Circariae Abbates singuli unum dumtaxat, cum tamen limitatione quod Bernensis et Diligemensis non singuli unum, sed vicissim sive alternatim unum locum habeant. Si vero per eleemosynas,

foundationes, aut alia quacumque industria collegii proventus ita augeantur ut plures ibidem ali queant, augmentum illud ad omnes aequaliter pertinebit.

Si quae fuerint oblata pro Missis, vigiliis aut officiis similibus, non acceptentur nisi ad sexennium, vel ad summum ad octennium sine Circariae consensu, nisi cum tempore religiosorum numerus notabiliter augeri contigerit.

Ad dictum Collegium nulli umquam admittendi erunt saeculares, nec alterius quam Praemonstratensis ordinis religiosi, nec etiam alii quam Circariae Brabantiae, nisi de expresso consensu eiusdem Circariae. Prohibetur etiam rigore omnibus huius Collegii alumni ne aliquid agant in negotiis Ordinis aut monasterii alicuius, aut etiam particularium personarum dicti ordinis sub pena gravioris culpa triginta dierum, et inhabilitatis ad omnia officia et dignitates ordinis; sed si quae forte ipsis committi aut commendari contigerit, ea per Ordinis Procuratorem, vel eius in Urbe substitutum peragentur; qui etiam attendet, ut nihil absque expresso mandato aut consensu Superiorum, et eorum quorum interesse poterit, tractare incipiat.

De Praeside.

Praeses Collegii S. Norberti habebit omnem potestatem quam habent ex Statutis Ordinis et privilegiis in spiritualibus ipsi Abbates, dependenter ab ipsa Circaria Brabantiae, poteritque etiam idoneos ac aetatem habentes mittere ad ordines, nisi proprii Abbates aliud circa suos constituerint. Superintendet quoque temporalibus, eritque supremus eorumdem administrator, cuius voluntati provisor in omnibus se accommodare debebit. Nihil autem praeses alienabit vel mutabit sine consensu Circariae sub pena nullitatis.

Singulis annis computum conficiat in quo summaria receptorum et expensarum eius anni adeoque totius Collegii statum externum comprehendat, quem ad Reverendum Dominum Tongerloensem mittet confirmandum vel infirmandum, ac cum reliquis eorumdem documentis Collegii pertinentibus confirmandum.

Ad Praesidem pertinebit, ex omnibus Collegii alumni maxime idoneum seligere in Vicarium, et alium vel etiam eundem designare in repetentem, sive praefectum repetitionum scholasticarum.

Necessitatibus fratrum tam valentium quam infirmorum ex praescripto regulae et statutorum ipse providebit per provisorem; eis-

dem non tantum de vestibus tam laneis, quam lineis, considerata eorum necessitate prospiciens, sed etiam de medico, chirurgo, et pharmacis quando eorum id postulabit indispositio.

De Provisore externorum.

Praeter ea quae in Statutis Ordinis ad Provisorum spectantia traduntur observabit exacte sequentia. Ut omnes Collegii proventus ipse recipiat, et recepta competenter annotet, tam in sibi particulari libro, quam in maiori Collegii registro ad hoc conficiendo. Si quando notabilem summam et quae expensas unius mensis excedit, recepit, eam deferat ad Praesidem, in communi aerario reponendam. Aerarium porro commune stante praesenti religiosorum paucitate duabus clavibus, una ab ipso Praeside, altera ab ipso Provisore asservandis, claudetur; quando autem simul essent duodecim aut plures, tertia eius clavis a Vicario servabitur. Singulis mensibus computum expensarum Praesidi tradet, accipietque quantum in sequentem mensem, aut alias ad provisiones necessarias opus erit ex aerario praesente Praeside pecuniam. Provisiones necessarias rerum omnium, seclusa curiositate, suo tempore, servata cum Praeside correspondentia et dependentia, ipse faciet. Portiones fratrum in mensa quotidiana ipse curabit, ut ordinate et frugaliter varientur: nihil inquam superaddet nisi de expresso Praesidis consensu. Ad eum et pertinebit infirmorum particularis, sicut et horti cura. Curabit etiam ut porta Collegii tempestive clausa, claves ad Praesidem deferantur.

De Vicario.

Vicarius designabitur a Praeside is qui inter coeteros modestia et stricta disciplinae regularis observatione iudicabitur ab eo dignissimus. Ad eum pertinebit in Praesidis absentia, omnibus conventibus praesidere in mensa, lectione horarum, et repetitione lectionum, fratres observare ad scholas euntes et inde redeuntes, ut ordinate et nusquam divertentes procedant; attendet ne quies turbetur in dormitorio, et in aliis exercitiis impertinentia exerceatur; nullus mutua cubicula ingrediatur ac fabulas tractet; delinquentes in Praesidis absentia aut de eius facultate ipse corriget, aut corrigendos denuntiabit.

De temporis distributione.

Ut temporis distributio tam per Statuta Ordinis praescripta quam per Capitula provincialia ordinata, huic climati accommodentur, designabitur a Praeside unus ex fratribus, qui curam habeat matutino tempore, reliquos excitandi, cui etiam ad commoditatem procurabitur horologium, iuxta quod horas suas repartiri poterit. Servabitur autem in temporis distributione hic ordo, ut toto tempore ab octobri usque ad Pascha excitetur hora correspondente nostrae quintae ; a Pascha autem usque ad calendas Octobris hora correspondente quartae nostrae ; quas quidem horas quartam et quintam prandium sex horis intermediis, et horam prandii cena intercurentibus octo horis cum media ; praeterquam diebus ieiunii tempore aestatis quando una hora prandium differre oportebit. Quibus positis semper post mediam horam ab excitatione fratres convenient ad locum ubi preces matutinae fieri consuevere ; ubi dato a Praeside vel Vicario vel etiam Seniore signo, hebdomadarius incipiet caeteris prosequentibus : Veni S. Spiritus, versiculum et collectam, ipse subiunget, deinde pro foelici morte ; et huius Collegii foelici successu legens Litanias Lauretanus cum precibus in Breviario positis ; quibus finitis omnes orationi mentali per mediae horae spatium vacabunt. Finita meditatione, dato ab excitatore signo, incipient simul legere choraliter, idque devote et studiose, Primam, Tertiam, Sextam et Nonam. Lectis horis sequetur Sacrum ab omnibus audiendum, legendum per ordinem septimanalem ab omnibus sacerdotibus ; poterit autem qui illud dicturus est, exire dicto capitulo, ut se ad istud digne disponat et preparet.

Finito Sacro, omnes excepto Provisore, qui suis intendere poterit, conferent se ad cubacula sua studiis vacaturi usque ad signum ad lectionem ; ibunt autem simul bini vel terni ad scholas nec se aliquis a communi via, multo minus a socio suo separare poterit, memores regulae suae. Singuli tres ordinarias lectiones in S. Theologia scribere teneantur, nec plures audire vel etiam domi describere possint sine expressa Praesidis licentia.

Fatribus ex scholis reversis, dabitur primum signum ad prandium ut cocus interea se praeparet, et finita praecise hora sexta a primo surrectionis signo, dabitur secundum signum ad prandium, ad quod curabit Provisor ut omnia sint parata, ne communitati tempus pereat, curabit Praeses ut statim et praecise adsit ; quod si ipse adesse per impedimentum non possit : Vicarius vel iunior

campanulam tribus ictibus feriat et intrent omnes rectorium, et fiat prout in Statutis, et faciat hebdomadarius benedictionem mensae; incepta lectione mensae in sacra Scriptura, omnes religiose taceant; finita autem lectione, revolvant eam donec Praeses de ea dicere coeperit. Sint autem omnes parati ad respondendum circa lectionem sacram, et faciat Praeses, vel, eo, absente, Vicarius ut semper aliquis fratrum aut etiam plures explicent motas super ea difficultates. Circa refectionis medium, proponuntur tres casus conscientiae per ordinem, et de iis aliquis suavis discursus instituetur. Sequentur circa refectionis finem, lectio pia italico idiomate ad Praesidis nutum terminanda, ac lectionem sequentur gratiae, prout in Statutis.

Actis gratiis habebunt horam colloquii de rebus honestis, quam sequitur aestate quies horae mediae. Hijeme autem poterit recreatio etiam per istam mediam horam protrahi. Quando colloquuntur, latine vel italice loquantur, maxime tamen italice, et dum quiescitur, ab iis qui nolunt quiescere, servetur strictum silentium.

Finita quiete vel recreatione pulsetur ad Vesperas et omnes convenient ad locum communem post moram medii circiter quadrantis, lecturi simul Vesperas et Completorium. Sequetur studium, et post studium signum eundi ad scholas in quibus habebunt se ut supra.

De repetitionibus.

In aestate una hora ante lectionem pomeridianam, hijeme vero duabus horis et media ante coenam instituetur repetitio, in qua praesidente eo qui ad hoc deputatus erit, et omnibus reliquis oppugnantibus, repetentur lectiones in scholis auditae; quando autem sunt vacantiae, poterit repeti philosophia, ceterum in caloribus poterunt haec commoda hora anticipari.

De matutinis.

Una cum dimidia hora ante coenam, convenient ad legendum simul Matutinas sequentis diei, et media hora ante coenam per lectionem piam ex libro a Praeside probando, praeparabunt se ad meditationem sequentis diei; in quadragesima autem tunc legent septem psalmos et reliquum tempus impendent dictae piae lec-

tionem ; nam quia sequitur collatio tantum, semper fiet ut dicta lectio daret ad unum quadrantem.

Post octo horas cum dimidia ab ultimo, signo ad prandium dabitur secundum signum, ad coenam, ad collationem autem diebus ieiuniorum, media hora tardius, in quibus servabuntur omnia quae in Statutis. Qua finita dimittet Praeses conventum ut possint ad exercitia sua pergere.

Post coenam una hora, post collationem media, habeant, ut supra post prandium, honesta colloquia ; quibus finitis debetur signum ; quo audito, convenient ad locum communem, et legent simul Salve Regina, vel aliam pro temporis congruitate ; qua finita, omnes in silentio, quod deinde usque ad Capitulum sequentis diei exacte servari debet, conferent se ad cubicula, strictoque per quadrantem horae conscientiae examini vacabunt ; quo finito, dabitur signum ad quietem.

Quae a Praeside ad formandam interioris hominis perfectionem, virtutumque amorem excitandum, pro annuis ac mensuris exercitiis, confessione et communione hebdomadali hactenus sunt proposita, atque a fratribus utiliter observata, cum talia sint ut communitatis directioni nullatenus discommodent, sed omnino ad spiritualem perfectionem iuvent : hortamur ut omnes praesentes et futuri huius Collegii alumni illa exacte observent, et practitent, ad quae omnino etiam conveniet introducere spiritualia colloquia.

De coetero cum fratres nostri sumptibus monasteriorum suorum huc mittantur, eorumdem sumptibus in patriam revocati aut remissi reverti debeant, procurabitur a recedentibus tempestive huiusmodi sumptus, ne Collegium gravetur, quod alias fratribus de competenti victu et vestitu quam diu hic agent providebit, attendet diligenter Praeses ut si forte de Circariae licentia aliorum monasteriorum aliquis admittatur, debitam cautionem habeat expensarum a dictis religiosis faciendarum.

Praedicta Statuta ego infra scriptus Abbas S.S. Cornelii et Cipriani Ninivensis et ordinis Praemonstratensis procurator generalis in Urbe existens, omnibus tam praesentibus quam futuris huius Collegii S. Norberti in Urbe alumni, praescripsi et publicavi districte et sub poenis in Statutis Ordinis contentis, et aliis arbitrarie infligendis, omnibus tam superioribus quam subditis observanda, audito prius ipso Praeside, coeteris hic existentibus fratribus. In

quorum fidem his propria manu subscripsi, sigillumque ordinarium apposui.

Ioannes
Abbas ninivensis
procurator generalis Ordinis Praemonstratensis.

Statuta haec specialia pro Collegio S. Norberti Urbis Romae proinde subsignatae sunt ab abbate Ninoviensi Ioannis David (abbas aa. 1613-1636). Qui Romae, qua Procurator generalis Ordinis, tunc debebat. Ratio vero huius procurationis non indicatur.

In catalogo autem omnium qui in Collegio Romano S. Norberti habitarunt citatur : « R. D. Ioannes David ». Et haec de ipso dicuntur :

« R. D. Ioannes David, Abbas Ninoviensis et Procurator Generalis Ordinis Praemonstratensis. Anno 1627 circa Omnium Sanctorum venit Romam cum socio suo fratre Carolo Moenio, propter plura Ordinis negotia et maxime ob divisionem quam in Ordine moliebatur R. D. Abbas Mussipontanus, Servatius Lairvels. Interea autorizatus ab abbatibus Circariae Brabantiae promulgavit Statuta seu Leges pro nostro Collegio, quae de facto observantur. Discessit Roma circa Pascha 1628... ».

Abbas Ninoviensis, David, proinde a Capitulo Generali, et quidem Capitulo anni 1627, missus fuit Romam, qua procurator Ordinis ; ratio specifica huius decisionis quaerenda est in animositate crescente plurium Abbatum Ordinis contra abbatem Lairuelz et reformationem ab isto introductam in Ordine, qua plenius redire intendebat Lairuelz ad observationes severiores Ordinis primaevi. De his difficultatibus plura refert Et. DELCAMBRE, *Servais de Lairuelz et la Réforme des Prémontrés*, Averbodii, 1964, pp. 180-185. Revera « ce fut au chapitre général de mai 1627 que fut déclenchée l'offensive décisive contre l'association lairuélienne. L'assemblée visait à un double but : la suppression de la communauté de l'antique rigueur, l'abrogation de la réforme mussipontaine... Pour faire triompher sa cause, le chapitre général engagea une instance en cour de Rome... Il avait député dans la Ville Eternelle Jean David, abbé de Ninove, pour y soutenir les prétentions de la commune observance. Lairuelz de son côté fit de même : le 6 janvier 1628, il délégua à Rome ses plus fidèles collaborateurs, Claude Morizet, prieur de Mureau, et Pierre Thienville, sous-prieur de Verdun, avec

mission d'y défendre les privilèges de la communauté... » (l. c., p. 182).

Acta Capituli Generalis anni 1627, hac ratione de missione abbatis David in Urbem loquuntur (Ms. 994, Nancy, p. 629 s.) : « Item pro negotiis totius Ordinis in Curia Romana proseguendis et distractionibus monasteriorum quae fiunt, et impendere de caetero videntur in Ordinis ipsius dedecus et contra unitatem in qua institutus et confirmatus fuit, impendendis, Capitulum creat, nominat et facit Procuratorem suum et totius Ordinis in Curia Romana Rduum Abbatem Ninivensem, qui iuravit in praesentia Capituli fideliter illud officium exequi, defendendo privilegia et libertates Ordinis contra quascumque personas quantum in se erit et viribus valebit, nec impetrare quicquam contra eadem Ordinis privilegia, nec impetratis uti sine Revmi Dni Praemonstratensis et Capituli Generalis licentia. Assignatur autem illi pensio mille ducentarum librarum ab Ordine super extraordinaria contributione solvenda et Romae numeranda. Et expediantur ei litterae commissoriae in ampla et debita forma a Revmo Dno Praemonstratensi totius Capituli nomine et autoritate plenaria, quam illi ad hoc reverenter committit et delegat ».

In hac missione speciali abbatis David in praesenti non est immorandum, eo quod in mandato Capituli Generalis ipsi concredito sermo nullatenus fiat de statutis conficiendis et evulgandis in Collegio S. Norberti Romae. Statuta ista conficere et evulgare ipsi commissum fuit ab abbatibus Circariae Brabantiae.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.
